Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 3195
Quelle:
Copyright:

In longa ad *Psalterii* calcem Rubrica mentio fit Veniae Noxarum a *Sixto* IV. Pont. Rom. indultae, unde *Codicis* aetas colligitur. Succedunt pia Exercitia de Doloribus et Gaudiis B. V. *Mariae*, gravisque sub finem admonitio:

Dyt bock hort Metben vam holte.
De dat vint de do dat wedder,
Edder de duuel vorbrent em dat ledder.
Hoet Dy!

DCCCCLVIII.

960 Codex membraneus gall. Sec. XV. Folior. 43. 4. luculente scriptus, literis initiorum et marginibus auro et coloribus illustratis, tresque exhibens Icones elegantis penicilli, paratus, ut videtur, in usum nobilis cujusdam Puellae, quae in prima Icone Deiparae sedenti flectit genua, variis Precibus piis constat, quae sunt: *Les XV. Joies de nostre Dame, les V. Plaies de nostre seigneur*, et aliae, quarum pars rhythmica.

DCCCCLIX.

305 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 262. f. currente calamo partim lineis longis, partim per 2. columnas exaratus, olimque *ad Canonicos Regulares prope Nussyam* (Novesium, Neus ad Rhenum) pertinens sequentia continet: I. *Callisti III.* Pont. Max. *Bullam* de institutione seu instauratione Festi *Transfigurationis Domini*, quae incipit: *Inter Diuine dispositionis Archana* &c. et data est *Rome apud sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominice Millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, octauo Idus Augusti Pontificatus Anno Tertio.* Ad quem annum illam etiam refert *Odor. Raynaldus* in *Annal. Eccl. n.* 73.

II. *fol.* 6. Sequitur: *Tractatus de instinctibus spirituum. M. H. de. Hassia.* Initium: *Semen cecidit in terram bonam* &c. *Licet verbum propositum exponatur per christum de semine verbi* &c. Peccat inscriptio; Tractatus enim ad *Henr. de Vrimaria* Eremitam Aug. pertinet. Vide *Codd.* XC. et alios in *Indice. Henr. de Hassia* de *Discretione Spirituum* scripsit; inde confusio.

III. *fol.* 13. *Sermones* II. habiti ad Clerum. Prior in illud: *Iacta cogitatum tuum in Domino.* De mente ad Deum elevanda, hoc initio: *Hec verba sancta mater ecclesia cantat in officio misse die hodierna* &c. Alter in illud: *Dispone domui tue quia morieris* &c. hoc initio: *Carissimi Fratres ad eliciendum ex premissis verbis aliqua* &c. Verum hic integer non est in hoc *Cod.* Ex alio tamen *Bibliothecae* nostrae integrum edidit *Herm. von der Hardt* T. V. *Concil. Constant.* p. 115. ubi *Jacobo* Episcopo *Laudensi* tribuitur habitus